

accidit ut circumstantia, sed est verum ac proprie dictum peccatum; unde illa suppressa non dicitur peccatum totum, secundum suam substantiam: cum vero circumstantia semper includatur in eo, quod substantialiter est essentia peccati, illa non declarata nihilominus dicitur totum quod rationem peccati habet. Deinde qui solum consensum internum in peccatum fatetur, praesumitur acceptione vulgari, negare opus externum, quod revera commisit; quod mendacium in tanto negotio culpa lethali non vacat.

Diffamatio evulgatione veri criminis specie differt ab ea, quae falsum crimen affingit. Incestus secundum gradus diversos consanguinitatis probabiliter aliae peccatorum sunt species: secus, nemo teneretur diversitatem graduum explicare, per se loquendo, sed tantum ex accidente ob annexam censuram aut reservationem. Sollicitatio item ad adulterium exprimens est tanquam specie distinctum crimen a voluntate simplici mœchandi sine opere externo.

Denique violatio jejunii comestione carniū duo specie peccata praecipis duobus diversa imperantibus repugnantia involvit. Ex dictis

204. *Colliges.* Non satis coherere doctrinam quorundam, qui cum Esparza volunt exponendas esse pro confessione circumstantias, quae se tenent ex parte objecti, non autem eas, quae tenent se ex parte actus; quod ipse Suarez et reliqui adversarii nostri adverterunt. Nam si unum furtum mille aureorum distincte declarandum, quia aequivalet mille furtis singulorum aureorum; par omnino ratio erit de circumstantiis, quae se ex parte actus habent: in diuturna enim actus continuatione cujuslibet momenti duratio aequivalet peccato integro, et ad mortale peccatum sufficeret sola. Quod idem de actus vehementia, seu, ut scholae loquuntur, majore intensione, dici oportet: si enim gradus intensionis homogenei sint, actus intensus ut quatuor, quatuor distinctis actibus aequivalet; si fuerint heterogenei, major adhuc erit plurium actuum in actu uno aequivalentia, eo quod gradus alter altero tunc sit perfectior.

ARTICULUS V.

QUOMODO PECCATA DUBIA AD CONFESIONEM PERTINEANT?

205. *Nota.* Dubium quandoque sumitur pro judicio incerto, quo sensu opiniones probabiles dicuntur dubiae: aliquando vero dicitur suspensio assensus et dissensus objecto incerto praestandi.

Secundum priorem dubii acceptionem valde impropiam saepe contingit, ut de una contradictionis parte probabiliter judicemus, de parte autem opposita judicium probabile non habeamus, sed vel suspicionem quamdam aut formidinem. Quo in casu certum plane est, posse nos, et aliquando etiam debere sequi tale judicium, ita ut, si probabiliter judicemus nos peccasse, aut peccatum nunquam fuisse confessos, ad confitendum illud teneamur: e contra si judicemus nos peccatum non admisisse, aut jam confessos esse, ab obligatione confitendi reddamur immunes. Hoc enim modo non dubitamus proprie, sed opinamur: quod quidem judicium probabile ad humanas actiones dirigendas sufficit: nam licet speculative sit incertum, ex eo

tamen deducitur judicium practice certum de honestate actionis vel omissionis, sufficiens ad actiones humanas, quia major certitudo regulariter hominis vires excedit.

Juxta posteriorem vero et propriam dubii acceptionem duplex modus dubitandi occurrit: ac primo quidem, quando pro utraque contradictionis parte habetur probabile judicium, quamvis animus in partem alteram cum majore vel minore probabilitate inclinetur: dubium tale vocatur a multis *probabile*, ab aliis *positivum*. At quando quis probabiles quidem rationes habet dubitandi, nec tamen determinari potest ad ferendum judicium probabile pro parte alterutra, appellatur dubium *negativum*. De hisce duobus modis dubitandi praesens disceptatio tantum versatur: nam quod alii dubium negativum nuncupent, cum quis suspensus haeret, an peccaverit, an non, sine ulla ratione pro parte utraque apparente, nimium quantum improprie loquuntur; ac videtur effectus iste animi non tam dubitatio dicenda esse, quam ignorantia: ut quando haesitamus asserere, utrum numerus stellarum par sit, an impar. Quod si nulla apparet ratio, quae confessionem peccati necessariam probet, nihil est, quod dubitem, me ab obligatione confitendi esse immunem.

206. *Dico I.* Qui in dubio positivo probabiliter judicat, se non peccasse mortaliter, vel tale peccatum jam fuisse confessum, potest se iudicio isti conformare, ut non teneatur tale peccatum confiteri, licet in contrarium habeat conjecturas adhuc probabiles. Ita Sylvester verbo *Confessio*, 2. q. 2., Suarez et alii complures, inter quos Haunoldus thesin istam adeo certam pronuntiat, ut etiam a statu quaestionis eam amandat.

Prob. In rebus practicis, in quibus non imminet periculum, licet sequi opinionem probabilem, non obstante opinione contraria probabili, vel etiam probabiliori: raro enim plenam certitudinem rerum agendarum assequi possumus; ergo judicium illud pro capacitate cujusque censetur sufficiens ad inferendam practicam certitudinem.

Conf. Si poenitens dicat, se habere tale judicium de peccato quopiam, et velle illud sequi, confessor debet ei conformari in hoc, sicut in aliis rebus probabilibus; ergo multo magis poterit poenitens peccatum illud omittere, perinde ac si initio tale judicium habuisset de actu ejusmodi dubio, an sit peccatum, aut utrum hoc peccatum teneatur confiteri.

207. *Dico II.* Peccata mortalia, de quibus negative dubitamus, necessario in confessione debent exponi. Ita S. Thomas dist. 2. q. 2. a. 3. ad 3. et d. 17. q. 3. a. 1., Paludanus, Richardus, Dom. Sotus, Medina, Navarrus, Sylvester, Victoria, et Summistae veteres ac recentiores, contra Caramuelem, Aegidium Conine, Antonium de Spiritu S. in Directorio Confessor. tr. 3. d. 3. sect. 2. n. 273., quibus favent Layman, Granadus, Praepositus, Arriaga et Haunoldus, quamvis omnes hi subtimide pronuntiant.

Prob. I. In dubiis pars tutior est eligenda: qui autem exponit peccatum, de quo ita dubitat, nullum subit periculum, cui se exponeret, qui reticeret crimen, quod vere commiserat.

Prob. II. Ea peccata tenemur confiteri, de quibus extra sacramentum

conteri tenemur : at extra sacramentum conteri de peccatis negative dubiis tenemur saltem ratione periculi ; ergo.

Prob. III. Ex sententiis practicis præferenda est illa , quæ congruit sensui ac iudicio fidelium , et praxi continuæ , nec contra se habet rationes eneruantes vim praxis et communis iudicii : atqui talis est sententia suadens obligationem confitendi peccata negative dubia ; ergo.

208. *Obj. I.* Concilium TRIDENTINUM non meminit obligationis confitendi peccata dubia ; ergo nemo tenetur ea confiteri , cum sine sufficiente causa tam gravis obligatio imponi fidelibus non debeat.

R. D. Ant. TRIDENTINUM non meminit diserte et explicite talis obligationis , ne definiret quæstionem inter Scholasticos utrimque agitatam *C.* non meminit hujus obligationis ne implicite quidem *N.* Concilium docet explicanda esse omnia mortalia , quorum post diligens examen pœnitens conscientiam habeat : atqui peccati dubii habet conscientiam saltem dubiam et incertam ; ergo ad illud declarandum tenetur.

Inst. 1. Nemo potest sine sufficiente causa damnare alios , ergo neque se ipsum.

R. C. totum. Nemo sine causa damnatur , sed obligamur duntaxat ad confitendum peccatum ut dubium.

Inst. 2. In dubiis melior est conditio possidentis : atqui quando dubito , an peccaverim , libertas mea certa est , solum autem peccatum et lex sunt dubia ; ergo non teneor confiteri.

R. N. min. In hoc casu libertas est dubia , lex vero confitendi peccatum dubium certa est : nam qui dubitat , an graviter peccaverit , nec se dubio expedire potest , tenetur ex caritate pœnitentiam agere , ne , si forte peccaverit , damnatur . Atqui pœnitentia hominis christiani est non solum detestatio peccati , sed ejus etiam confessio , ut habetur Sess. 6. cap. 14. Conc. TRIDENTINI ; ergo talis tenetur ad confessionem peccati dubii : adeoque lex certa est . Igitur regulæ juris , in obligationibus pœnitentiaque imponendis benignior interpretatio est facienda , statque pro libertate innocentia et possessio , aliæque ejus generis , effectus tantum onerosos restituendi , subeundi condemnationem , pœnam , aliudque simile onus respiciunt , non autem effectus favorabiles , ex quorum omissione summa miseria prudenter timeatur , et ad quos consequenter homo præcepto naturali caritatis adstringitur .

Inst. 3. Per actum pœnitentiæ ex affectu caritatis præcavetur malum , quod imminere potest ; ergo ad hunc solum tenetur , tanquam ad effectum favorabilem , qui dubitat , non vero ad confessionem onerosam magis .

R. D. Ant. Per actum pœnitentiæ junctum voto confitendi , aut confessioni ipsi , cavetur malum , quod imminere potest *C.* per actum pœnitentiæ sine tali voto , aut ipsa confessione præcavetur malum illud *N.* Actui pœnitentiæ secundum se non debetur remissio peccati , sed ex divina pollicitatione ; ergo illo non præcaventur mala imminencia , nisi ea ratione fiat , qua illi Deus peccati remissionem promisit , prout adjunctam habet confessionem , aut ejus votum .

209. *Obj. II.* Concilium TRIDENTINUM Sess. 13. cap. 7. jubet , præmittendam Eu-

charistiæ sumptioni confessionem peccati mortalis , cujus quis sibi conscius est , et Sess. 14. cap. 5. docet , teneri ad confitendum peccatum , cujus quis conscientiam habet , et cujus meminit : atqui conscientia significat certam scientiam : et Cardenas in crisi Theol. p. 2. disp. 46. c. 5. n. 270. inauditum , inquit , esse , quod nomen *consci*us dicatur de eo qui dubitat ; nec nisi absurdissime dari a quolibet vocibus significationem , in qua nunquam usurpantur . Aristoteles item L. 1. de memoria , ait , animam , cum reminiscitur , pronuntiare , se aliquid olim sensu aut intellectu percepisse , et Platoni meminisse est quoddam scire . S. THOMAS autem 1. p. q. 79. a. 13. in 9. *Conscientia* , inquit , secundum proprietatem vocabuli importat ordinem scientiæ ad aliquid , nam conscientia dicitur cum alio scientia . Nihil autem horum accidit dubitanti ; ergo secundum decreta Concilii TRIDENTINI non tenetur confiteri , qui negative de peccato commisso , aut confesso dubitat .

R. D. Assumpt. Conscientia significat certam scientiam vel directam vel reflexam *C.* semper directam *N.* Scientiam directam habet , qui certo novit , se peccatum admisisse , reflexam vero , qui scit se dubitare , aut probabiliter suspicari , utrum peccaverit . Neque adeo inusitatae sunt phrases illæ : nam HONORIUS III. c. *Petitio* , de homicidio volunt. diserte mentionem conscientiae dubiæ facit : et INNOCENTIUS III. c. *Inquisitioni* , de sent. excom. *Distinguimus* , inquit , *utrum habeat conscientiam ejusmodi ex credulitate levi et temeraria , an probabili et discreta* . Quapropter *to conscius* , ex TRIDENTINO accipitur pro habere conscientiam : neque semper opus est , ut , qui reminiscitur , pronuntiet per memoriam directam , sed sufficit , quod fiat per reflexam .

Sed nec Aristotelis aut Platonis auctoritas adversariis patrocinatur ; nam si anima reminiscens pronuntiat , se intellectu aut sensu aliquid percepisse , vera est pronuntiatio , licet probabilem etiam , aut dubiam perceptionem asserat . Platonem etiam , dum in Phædone , seu dialogo de Anima tradit , *quod discere nihil aliud sit nobis , quam recordari , et ipsa disciplina sit recordatio* , scientias nostras putat esse reminiscencias notiliarum , queis animæ , antequam corporibus jungebantur , pollebant : nequaquam autem omnem memoriam dixit esse scientiam , quandoquidem multa ipse probabiliter in partem utramque versat . Denique S. THOMAS I. c. tantum probare studet , conscientiam non esse potentiam , sed esse actum : atqui dubium etiam est actus , et quidem si est de peccato commisso , est actus remordens , qualem etiam conscientiam esse , ibidem docet . Imo in sermone communi scire dicimur , quod ex aliorum relatione accepimus , licet non indubitata notitia : et L. 25. §. 7. ff. de Hæreditatis partitione , dicitur quivis *post motam controversiam... scire , rem ad se non pertinentem possidere se* .

210. *Obj. III.* Cum jubeamur mortalia tantum confiteri , dubitare an culpa sit mortalis , est dubitare , an præcepto confitendi comprehendatur : atqui quando dubitatur , an res aliqua præcepto contineatur , nemo illo præcepto obligatur , ut vulgo tradunt ; ergo qui dubitat , an mortaliter peccaverit , non tenetur præcepto confitendi .

R. D. min. Quando dubitatur , an res præcepto contineatur , nemo præcepto obligatur , si præceptum se non extendat ad rem ipsam dubiam *C.* secus *N.* Juxta TRIDENTINUM tenemur confiteri mortalia , quorum conscientiam habemus : atqui etiam de peccato dubio scimus nos habere conscien-

tiam dubiam; evidens enim est cuius dubitanti, se dubitare; ergo lex confitendi mortalia etiam extendit se ad peccata dubia. Et certe legem istam a Christo etiam pro dubiis peccatis institutam novimus ex perenni doctrina et usu fidelium: cum e contra opinio adversariorum vixdum a seculo celebretur, et ipsorummet confessione sit tantum speculative probabilis.

Inst. 1. Dubium facti pertinentis ad materiam præcepti reducitur ad dubium juris: atqui in dubio juris nemo tenetur ad actionem; ergo cum dubitare de peccato mortali sit dubium facti pertinentis ad præceptum confitendi, ideoque reducatur ad dubium juris, nemo ita dubitans tenetur ad confitendum. Nam et Suarez ipse cum pluribus affirmat, neminem teneri, quando dubitatur de actione, ex qua legis obligatio primum curreret: et 63. regulam juris in 6. de meliore conditione possidentis, non solum in materiis justitiæ, sed etiam in aliis omnibus valere.

R. D. M. Dubium facti reducitur ad dubium juris, quando obligatio non est injuncta pro facto ut dubio *C.* si pro facto ut dubio etiam injuncta est obligatio *N.* et concessa *minore*, eodem modo distinguo *consequens et ejus probationem*. Ex hac responsione facile concedimus, neminem teneri ad observandum jejunium, ad diem festum celebrandum, aut ad explendum votum, qui dubitat, utrum ætatem, quo jejunandi obligatio incipit, expleverit; utrum sit dies jejunii aut festus, utrum votum conceperit, etc. nusquam enim præcipitur harum rerum executio, ubi de actione aut circumstantia dubitatur: sicut etiam nemo tenetur casum reservatum ad superiorem deferre, qui de actione dubitat: nemo tenetur de excommunicatione ob eandem dubiam, eo quod ista legibus non comprehendatur. E contra ex homicidio dubio, aut ex dubia percussione clerici contrahitur irregularitas, quia hæc etiam actionibus ejusmodi dubiis a jure canonico decernitur.

Inst. 2. Dubium, quod vinci non potest, æquivalet invincibili ignorantie: nam sic dubitans vere non scit se commisisse peccatum, nec in ejus venire potest notitiam: atqui tacere culpam, quæ ex ignorantia invincibili nescitur esse commissa, aut esse mortalis, non opponitur præcepto confessionis; ergo qui sic dubitat, non tenetur confiteri.

R. D. M. Tale dubium æquivalet invincibili ignorantie, quæ opponitur scientiæ directæ *C.* quæ scientiæ reflexæ opponitur *N.* Hoc est, talis vere nescit, se peccatum admisisse, novit tamen, se habere conscientiam dubitantem, utrum peccatum commiserit, nec ne: cum hac autem scientia reflexa tenetur lege confitendi.

Inst. 3. Peccatum dubium non est materia certa absolutionis, quæ omnino nulla foret, si dubitans vere non peccasset; ergo neque hic obligatur ad confessionem, tanquam ad pœnam certam pro delicto incerto.

R. D. Ant. Non est materia certa absolutionis, si vere commissum fuerit *N.* si non fuerit commissum *C.* Utcumque autem se habeat, est certo peccatum dubium in conscientia: ne vero injuria sacramento fiat, aut a pœnitente adjungendum est peccatum certum, aut absolutio cum conditione imperienda. Hinc *D. Cons.* non obligatur ad pœnam certo delicto respondentem *C.* respondentem delicto dubio *N.* Obligatur ad accusandum se de peccato tantum ut dubio, ex qua obligatione soluta grande beneficium refert, nempe veram absolutionem, si forte peccatum perpetraverit. Ex hactenus dictis

211. *Colliges 1º.* Certus se peccasse mortaliter tenetur illud confiteri, si ita de confessione facta dubitet, ut probabiliter decidere nequeat, utrum confessus illud fuerit, eo quod ne probabiliter quidem ipsi constet, an obligationi fecerit satis.

2º. Eodem modo qui dubitat, an peccatum, cujus sibi certo conscius est, mortale, an veniale fuerit, ad ejus confessionem obligatur; ne se exponat periculo confessionis non integre factæ.

3º. Qui scit, actionem aliquam esse lethaliter malam, et negative dubitat, num illam admisit, tenetur ad ejus confessionem, tum ob rationes modo adductas, tum quia tenetur ad contritionem de tali actu eliciendam.

4º. Non tenetur ad confitendum, qui post examen diligens absolute ac fere certo judicat, se non peccasse, etsi restet formido quædam de opposito: tale enim judicium absolutum sufficit, ut quis lege solutus habeatur. Idem pronuntiandum, si quis valde probabilis censeat, se non peccasse: quandoquidem etiam verisimilitudo insigniter major æquivalet in moralibus certitudini. Idem respondendum in contrarium de eo, qui judicat, se peccasse, prout de judicio probabili, et probabilium comparatione, in 1. et 2. Thomæ traditur.

ARTICULUS VI.

QUANDO CONFESSIO ITERANDA SIT?

212. *Dico I.* Qui sacramentum Pœnitentiæ vere suscepit sine confessione materialiter integra, tenetur in proxima confessione repetere illa tantum peccata, quæ ex oblivione inculcata aliisque de causis legitime reticuit.

Prob. 1ª. pars: Concilium TRIDENTINUM Sess. 14. cap. 5. docet, ea peccata confitenda esse, quorum quis conscientiam habet: at peccatorum jam expositorum in confessione ac remissorum nemo habet conscientiam. Deinde factum jam satis est præcepto Christi, Joan. 20. dicentis: *Quorum remisistis, et quorum retinueritis peccata*, etc. unde potissimum confessionis necessitas probatur; retineri enim peccata amplius nequeunt, quæ distincte in confessione explicata sunt ac remissa.

Quapropter BENEDICTUS XI. in Extravag. *Inter cunctas*, de privilegiis: *Ne sequatur, inquit, absurdum, ut peccata semel per pœnitentiam dimissa debeat quis iterum confiteri*. Confirmat idem JOANNES XXII. in Extrav. *Vas electionis*, de Hæret., ubi oppositum dicit esse hæreticum.

Pars 2ª. constat ex supra disputatis, ac præsertim ex Concilio TRIDENTINO Sess. 14. cap. 5., quo docetur, oportere omnia peccata mortalia sigillatim et in specie, quorum pœnitentes post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione detegi: quæ autem in confessione formaliter tantum integra pœnitens omisit peccata, nondum sigillatim et in specie est confessus; ergo ad ea rursus exponenda adhuc tenetur.

213. *Dico II.* Quando sacramentum confessionis quocumque ex defectu nullum fuerat, iteranda est confessio etiam materialiter antea integre facta. Est sententia communis et certa.

Prob. Sacramentum confessionis est præceptum tanquam medium simpliciter ad salutem necessarium: at quando ex defectu aliquo sacramentum

confessionis nullum fuit, peccator nondum satisfecit præcepto suscipiendi hoc sacramentum; ergo adhuc tenetur illud suscipere confitendo sua peccata, quæ sacramentali absolutione nondum sunt expiata.

Variis autem modis confessionis sacramentum nullum esse potest, vel enim deest pars aliqua materialis, quales sunt contritio aut confessio peccati culpabiliter omissi: vel deest absolutio sacerdotis, aut profertur hic verba sine animo absolvendi, aut caret jurisdictione vel approbatione.

214. *Obj. I. cont. 1^{am}. conclus.* Si peccatum jam rite in confessione expositum ac dimissum, non amplius sit materia necessaria confessionis, ex eo quod retineri amplius non possit, neque idem erit materia sufficiens amplius ad confessionem: nam verba: *Quorum remisistis*, etc. æque late patent, ac illa: *Quorum retinueritis peccata*.

R. N. *Illat. et ejus prob.* Quod amplior sit potestas remittendi, quam retinendi, probat confessio peccatorum venialium. Reus rite absolutus potest in eadem causa sæpius judicari, si velit; non vero ad tale iudicium cogi juste potest. Quod vel maxime in voluntario hoc pœnitentiæ iudicio locum habet, in quo justus sese peccatorum præteritorum sæpius accusare, et absolutionis gratiam obtinere potest: retineri autem dimissa peccata amplius non possunt, cum nec ipsa redeant, nec sacerdos possit impedire, quo minus quisquam per actus pœnitentiæ ad beneficium absolutionis crebro recipiendum se disponat. Neque nunc major est confessionis necessitas, quam olim erat contritionis, antequam lex confitendi figeretur: nam tunc semel de peccatis suis perfecte contrito iterata contritione non erat opus, licet magno cum fructu id sæpe fieret.

215. *Obj. II. cont. 2^{am}. concl.* Quando confessione legitime facta non conficitur sacramentum ob malitiam sacerdotis nolentis absolvere, pœnitens facit, quod potuit ac debuit; ergo non est obligandus ad iteratam confessionem.

R. N. *Cons.* Est obligatio recipiendi medium hoc ad salutem necessarium: sine præmissa autem confessione recipi non potest; manet ergo obligatio confitendi. Sicut cum quis ex malitia baptizantis sine intentione fraudatus hoc sacramento citra culpam suam fuerit, ad actionem baptismi denuo subeundam adstringitur, quod medio ad salutem simpliciter necessario carere ipsi non liceat. Ex dictis hactenus

216. *Conficitur 1^o.* Eum, qui ex malitia aut ignorantia culpata sacrilege confessus est, et hanc et sequentes alias confessiones omnes teneri repetere, si eas memor prioris sacrilegii fecerit, nec id emendarit confessione legitima. Quod si confessionem unam aut plures intermedias, oblitus confessionis sacrilegæ, bona fide peregerit, has intermedias solas iterare non tenetur.

2^o. Eidem sacerdoti peccatum sacrilege omissum aperiens non tenetur sigillatim cætera jam distincte in priore confessione exposita repetere, modo generatim dicat, sese eorum, quæ nuper confessus est, accusare; nam sacerdos eorundem adhuc confuse saltem recordatur, et de omnibus prudens iudicium ratione status pœnitentis formavit. Ita plures contra Suarezium.

3^o. Non repetendum est peccatum jam confessum, cujus omissa inculpa-

biliter circumstantia sine hoc satis explicari queat. Ita qui furtum confessus, postea meminit, se etiam contra votum egisse, satisfacit confitendo, se violasse votum. E contra circumstantia parricidii aut incestus violenti non possunt seorsim exponi: nam licet speciem mutant, non tamen habent malitiam disparatam a malitia totius actus.

4^o. Qui scit, se aliquando confessionem sacrilegam fecisse, nescit autem, quænam illa fuerit, aut quodnam peccatum omiserit, satisfacit dicendo, se aliquando, unum peccatum omitendo, sacrilege confessum fuisse, neque ideo tenetur omnes interea peractas confessiones repetere; nam tenetur eo tantum modo confiteri, quo dubitat: dubitat autem solum generatim indeterminate de aliqua confessione.

5^o. Si quis novit, confessarium aliquod peccatum non audivisse, eo quod surdaster sit, aut obdormiverit, aut fuerit distractus alio, tenetur illud repetere in eadem vel proxima confessione. Si dubitet, quodnam peccatum sacerdos non perceperit, totam confessionem retexere debet.

6^o. Bona fide confessus sacerdoti adeo imperito, ut hic nequiverit discernere materiam necessariam a non necessaria, non tenetur peccata semel confessa iterum exponere: neque ignorantia sacerdotis tollit jurisdictionem, alioquin ministro tali non posset moriturus in necessitate confiteri: neque par hujus sacerdotis est ratio, et ministri surdi, ille enim omnia accurate percipit.

7^o. Qui omisit etiam ex malitia injunctam sibi satisfactionem exsequi, nec postea ejus recordatur, non tenetur deinceps priorem confessionem legitime factam iterare; nam valor absolutionis non pendet a peccato futuro: nec obligatur quis pœnitentiam petere pro peccatis rite olim expositis et condonatis, cum satisfactio pars essentialis sacramenti hujus non sit.

8^o. Communiter docent Theologi, eum, qui confessus peccatum ut dubium, postea vero certam ejus notitiam consecutus est, teneri ad id pro certo deinceps recensendum. Ast Cardinalis de Lugo, de Rhodes, et non pauci alii eo pœnitentem non obligandum esse arbitrantur, cum non possit dari ratio dispar, cur non teneatur etiam deinde dicere numerum certum, quem incertum antea detulerat.

9^o. Si quis confessione generali bona fide peracta, postmodum dubitet, utrum in ea peccatum aliquod omiserit, non obligatur ad illud in confessione sequenti explicandum, nisi ei ratio positiva admodum probabilis id suaserit; nam a possessione peccati expositi tam facile deturbandus non est; neque exponit se periculo ulli suæ salutis, eo quod ita generaliter confessus ab iis etiam, quæ memoriæ non occurrunt, absolvatur.